pore et anima et spiritu fermento sanctificat spiritali. Sanctificatur enim corpus atque anima per gratiam spiritalem et accepit sanctificationis augmentum, cum per ecclesiae velut quandam fermentantis officium scripturarumque doctrinam quae velut caelestium collatione sermonum et ubertate concrescit infusus toto homini atque per intima eius usus inoleverit, ut fiant unum cum ipsa fermentum. Quod utique tunc fit cum sibi tria haec pari quadam cupiditatum lance consentiunt et aequalis aspirat concordia voluntatum. Hoc ergo ecclesiae opus non tumultuarium nec fortuitum, sed diuturna meditatione collatum, ut haec tria unum sint integra a lege peccati. Cuius sententiae assertorem habemus apostolum dicentem: Ipse autem dominus sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in die domini Iesu Christi servetur. Quod per saecularia quae de temptamenta non pervenit, non fermentum illud cui comparatur regnum caelorum, mulier illa evangelica abscondat in farina mensuris tribus donec fermentetur totum. Tres enim mensurae sunt ut dixi: carnis, animae et spiritus. Sed spiritus quo vivimus omnis in hoc corpore situs; hoc verius quando carnis lascivia non redundat et anima corporalibus non incurvatur erroribus ac mensura vivendi in toto homine inoffensa servatur. Sed quia mensurarum aequalitas sine adiumento ecclesiae atque doctrinae difficile perseverat, idcirco mulier illa quae figuram ecclesiae gerit tamdiu virtutem illis doctrinae spiritalis admiscet, donec fermentetur totus ille interior homo cordis absconditus et in gratiam panis caelestis assurgat. Bene enim fermentum doctrina dicitur Christi, quia panis est Christus. Et apostolus ait: quia unus panis unum corpus multi sumus. Fit ergo unum fermentum quando caro non concupiscit adversus spiritum nec spiritus adversus carnem, sed facta carnis mortificamus et anima ex afflatu dei flatum vitae sumpsisse se conscia saecularis necessitudinis contagia terrena declinat. Unde et apostolus non in carne sed in spiritu ambulare nos praecepit, ut sanctificati per lavacrum regenerationis veterem hominem cum suis desideriis exuentes, induti novum qui secundum Christum creatus est, non iam in vetustate litterae sed in novitate spiritus gradiamur, quo possit nobis et resurrectionis tempore incorrupta corporis et

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20241 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20241)